Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

eam. Undique miser tui ipsius meditatus perdicionem:
adhanc ut arbitror ex afortuna perductus. Demens
ti namque mente simul et lingua tua. et quatinus
fatuam istam ac uanam fabulationem garriendo
effectus es. Sed nisi in principio sermonis promisissem tibi.
quod de medio conuiuii iram remouerem. nunc utique
igni carnes tuas traderem. Quoniam uero anticipans talibus
me circumuenisti sermonibus. suffero non tuam procaci
tatem. quam et propter priorem erga te meam amiciciam
sustineo. Surge ergo et fuge ex oculis meis ne ultra
te uideam. et male te perdam. Tunc egressus uir dei se
cessit in desertum. contristatus quidem quod martirium
non sustinuit. Martirium tamen cotidie in consciencia to
lerabat. pugnans aduersus principes et potestates.
aduersus mundi rectores tenebrarum harum. contra
spiritalia nequitie in celestibus; sicut ait beatus apostolus.
Illo ergo abeunte: amplius rex iratus. persecucionem uehe
menciorem contra monachorum meditatus ordinem.
ampliorique honore ydolorum cultores ueneratur atque
Cum in tali ergo rex esset errore: (pontifices.
crudeli et sedicione: nascitur ei filius pul
cherrimus. Qui ex ipso florido decore suo.
quod futurum erat prefigurabat. Dicebatur
enim nequaquam in terra illa talem aliquando appa
ruisse gratissimum ac speciosissimum puerum. Gaudio
itaque rex maximo in natiuitate eius gauisus. hunc qui
dem iosaphat uocauit. Ipse autem ad templa ydolorum
stultus abiit. insipientibus se diis immolaturus.
et graciarum actiones et ymnos et laudes redditurus.
ignorans miser quis uere bonorum auctor sit omnium.
cui spiritale oportebat offerre sacrificium. Ille autem
inanimatis et surdis causam pueri sui nati ascribens
undique transmisit ydolis. ut congregarentur: multitu
dines ad istius pueri natalicia. Tunc uideres omnes con
fluere timore regis. afferentes secum que sacrificia
erant idonea. sicut cuique erat possibile: et manus illius
inuenire poterat. et regalem dignitatem decebat.
Maxime uero ipse eos prouocabat ad sollempnitatem.
thauros plurimos et maximos ad immolandum
afferens. Et sic celeberrimo festo peracto. cunctos ho
norificauit muneribus; tam minores quam maiores.
tam nobiles quam ignobiles. In ipsa uero sollempni
tate conuenerunt ad regem preelecti uiri. quasi quin
quaginta quinque. circa astronomicam chaldeorum sa
pientiam uacantes. Et hos prius accersitos ad se
rex. rogabat edicere singulos quid futurus esset puer:
qui sibi natus esset. Illi uero plurima perscrutantes.

dicebant illum magnum esse futurum diuiciis et
potencia. et superegressurum omnes qui ante eum fue
runt reges. Unus autem de astrologis excellencior
cunctis ait. Sicut ex his que me docuerunt astrorum
cursus. ualeo conicere. o rex pueri huius profectus
qui nunc natus est tibi. non in tuo erit regno. set
in alio meliori. et incomparabiliter eminenciori.
Estimo uero illum quam persequeris christianorum religi
onem fore suscepturum. nec puto quod sua spe
ipse priuetur. Hec quidem astrologus dixit. sicut
olim balaam astrologia non uera pronuncians.
sed deo per aduersarios ea que sunt. ueritatis signifi
cante: ut omnem excusationem adimeret. Rex ergo
ut talia audiuit: grauiter hanc suscepit annun
ciationem. tristicia mox illi leticiam intercidit.
In ciuitate itaque seorsum palatium edifica
uit speciosissimum. et in eo cameras splendi
das artificiose atque operose construxit. ibique puerum
posuit. ad habitandum. postquam infancie impleuit
etatem et inaccessibile omnibus fore imperauit. peda
gogos illi et ministros constituens iuuenes etate.
et aspectu pulcherrimos. precipiens illis ut nichil
horum que in hac uita tristiciam generant. mani
festum illi facerent non mortem. non senectutem. non
infirmitatem. non paupertatem. nec aliquid aliud.
quod eum contristaret et leticiam ei minuere posset.
sed omnia iocunda et delectabilia illi proponerent
quatinus his mens ipsius iocundata. et delectata.
nichil omnino de futuris cogitare ualeret. Prece
pit etiam ut nec modicum uerbum de christo. et
de ipsius dogmatibus penitus audiret. hoc enim
magis omnibus occultare ei cupiebat. astrologi
metuens pronunciationem. Si quem uero ministran
tium ei infirmari contigisset: hunc mox inde
iubebat exire: alium uero pro ipso floridum et sa
num dabat. ut nichil omnino fedum uel enor
me oculi uiderent illius pueri. Rex uero sic ista dis
ponebat. et faciebat. Uidens namque non uidebat.
et audiens. non intelligebat. Audiens autem quosdam
monachorum adhuc superesse quorum nec uestigium re
mansisse putabat. furore replebatur: et uehe
mentissime contra eos agitabatur. Precones namque
per uniuersas ciuitates et regiones precepit discur
rere. clamantes. ut nullus omnino post tres dies
illorum monachorum inueniretur: Si autem aliqui inue
nirentur: post determinatos dies per ignem et gladi
um perdicioni traderentur: Isti enim sunt inquit qui